



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 1. Aëris accusatores, & commendatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

CAPUT V.

Ventos, nubes, pluuias, pruinas, grandines, lucem, & tenebras, & quidquid, in aëre, mali speciem habet, ab hominibus habere; ac Dei potentiam & æquitatem prædicare.

§. I.

Aëris accusatores, & commendatores.



Atis dictum de aëre videri potest, postquam de tempestatibus, in aëre natis, dictū est. Sed restant multa, in compendio, percurranda. Aër enim reciprocandi spiritus spacium, non solum ad respirandum datus est, sed æquè etiam inter morborum ac sanitatis causas refertur; & ut Seneca loquitur, ex aëre omnis inconstantia tumultusq; est. Eo æstuante, ait Plinius & concalesfacto, æstuant omnia, ex eo autem frigesfacto nubila, grandines, pruina, imbres, procella, turbines, & plurima mortalium MALA. Verum de morbis, deque pestilente, aëris infectione, ac perustis veneno ventis, propagatâ, alius erit dicendi locus. Alios, cum Plinio, contra frigus eius; contra calorem alios, alios contra alia queri audimus. Quid tum? sunt, qui frigore delectentur; sunt qui capi-

Tertulli-
an. l. cōtr.
Valenti-
nian. cap.
23. Senec.
2. natur.
ca. 6. Plin.
li. 2. ca. 38.

piantur calore; sunt, qui alterutro, sunt qui utroque, ad virtutē durentur. De Lappis & Finnis Septemtrionalibus scribit Zieglerus, in Scondia, aëris eos frigidissimi libertate non gaudere tantum, sed & juuari adeò, ut, quodocunq; in Sueciã, negotiorum causa, veniunt, nunquam domos intrent, sed sub dio tantum versentur, atq; cubent pelibus inuoluti. Obesi, & alij quoq; non obesi, hieme, & dum bruma riget, sunt saniores: resq; omnes frigido, quam calido cælo diutius asseruantur.

§. II.

Aëris, per imbrem, beneficia.

At ex aëre pruina descendit? Quid tum? descendit & ros, in teneris pecori gratissimus herbis. In aëre spiritus procellarum? In aëre vapores, & ex ijs nubes; ex his pluviæ, niues, grandines, si magis magisque constringantur? Quid tum? ibi est & officina fertilitatis: Aristotel. l. Meteor. cap. 9. 10. 11. 12. inde imbres, velut per cribrum, guttatim terram irrigant; inde niues, semina, tanquam lanæ, per hiemem, conteguunt. Et qui nescit, quid sit pluuijs carere, Eliæ historiam legat, in qua inueniet has minas & pœnas: *Vivit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, non erit, annis his, ros & pluuia.* Alibi autem, inter

3. Reg. 17.

1.

ter